

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.



DISPUTATIO XIII.

ETHICA

De

CONTINENTIA

ET INCONTI-

NENTIA.

Quam

DEO TRIUNO ANNUENTE

In Inclÿta & celeberrima Academia VVittebergensi,

PRÆSIDE

Clarissimo & Excellentissimo Philosopho

Dn. M. IACOBO MARTINI,

Logices & Pract. Philosoph. Pro-
fessore publ.

Proponit


ALBERTUS à Gröben / BORUSS.

Ad diem 8. Octobr. Horis Locoq̄ consuetis

VVITTEBERGÆ,

E Typographéo JOHAN. GORMANNI.

ANNO M. DC. XIV.



COMPLIMENTA
V I R O

*Magnifico, strenuo & antiquà no-
bilitate præstanti*

Dn. O T H O N I à Gröben /
Loci Schakenfis in Prutenica pro-
vincia præfidi, & Confiliario
provinciali &c.

*Patrueli & Patrono suo omni obser-
vantia studio perpetuò
colendo,*

Disputationem hanc Ethicam
*humiliter ac submissè
offert*

Respondens.



DISPUTATIO XIII.

De

CONTINENTIA ET
INCONTINENTIA.

Continuatio.

Hactenus Virtutum species omnes, ut & illarum summam, eminentiam & perfectionem, *Virtutem nempe Heroicam*, consideravimus; sequitur nunc, ut Philosophi nostri vestigia prementes, *Habitus imperfectos sive Semi-virtutes*, quarum Aristoteles quatuor enumerat, *Continentiam, Incontinentiam, Tolerantiam, & Mollitiem*, paucis videamus.

Thesis I.



Continentiam dicimus affectionem bonam, quæ pravæ cupiditates rectæ rationis imperio invitæ quodammodo subjiciuntur, & à voluptatibus abstinent.

II.

Genus est affectio bona, non habitus vel virtus. Non enim propriè habitus sunt hæ qualitates; sed potius *Ἀφ' ἑσθλῶς* quædam, virtutibus propinquæ.

A 2

3. Ratio.

III.

Rationes sunt. In virtutibus enim nulla sentitur colluctatio atq; pugna rationis & appetitus: sed hic illi facillimè obtemperat: In his verò dissidium quoddam inter rationem & appetitum existit: cum aliud suadeat ratio, & aliud velit appetitus.

IV.

Deindè à virtutibus verè boni appellamur: ab his verò nemo omnino beatus dici potest. Atq; hinc etiam ab Interpretibus quibusdam Aristotelis, Semivirtutes appellatae sunt.

V.

Sunt igitur Continentia & Tolerantia non propriè dicenda virtutes; nec tamen à virtutibus prorsus sunt alienae: cum tandem rationis ductum sequantur, licet id faciant cum quadam difficultate.

VI.

De Incontinentia & mollicie simili modo tenendum, quòd non sint propriè vitia; neq; tamen à vitijs omnimodè aliena. Nam in ipso Incontinente fit lucta inter appetitum & rationem, & appetitus superat: In vitioso autem sine ulla colluctatione statim appetitus dominatur.

VII.

Differentia continet hujus affectus objectum, nempe voluptates corporis: quae sunt vel naturales vel non naturales.

VIII.

Naturales sunt necessariae, vel non necessariae.

IX.

Necessariae sunt, quae percipiuntur ex ijs rebus, quae ad hominis conservationem tam quoad individuum, quam quoad speciem requiruntur.

X.

Non necessariae sunt, quae vitam aliquo modo splendidiorē & feliciorē reddunt.

XI.

Non naturales sunt, quibus homo propter communem naturae cursum afficitur, idq; vel ex morbo, vel peculiari naturae vitio, vel prava consuetudine.

12. Con-

XII.

Convenit igitur Continentia cum Temperantia objecto: non tamen idem cum ea est habitus. Nam Continentia est duntaxat quædam animi dispositio, affectus, & quasi inchoatus habitus: Temperantia verò est habitus, usu & assuetudine comparatus.

XIII.

Deindè Temperantia nullis agitur pravis & vehementibus cupiditatibus, sed habet eas domitas & rectæ rationi consentaneas: Contingens autem flagrat pravis atq; importunis cupiditatibus, rectæ rationi repugnantibus, in quibus fortiter resistendis & in ipsidem aureo palladis freno, hoc est, recta ratione coercendis, laborat.

XIV.

Ex his porrò liquidò constat, esse in Contingente pugnam quandam inter rationem & appetitum, cum in Temperante sedata sit omnis interna rationis ac appetitus lucta, & plenus atq; perfectus partium animæ consensus existat. Agit enim *ἐν ἀρετῇ* *αὐτῶς*, consultò & plenâ voluntate. Atq; hinc Temperantem Contingente longè dicimus meliorem.

XV.

Quæritur porrò utrum, nulla prorsus Pertinacis & Continentis sit differentia: cum uterq; in proposito perseveret? Respondemus, esse eos quidem quodammodo similes, propterea, quod uterq; persistat in opinione & sententia sua: sed in hoc differre, quòd Contingens semper in bona, Pertinax autem in mala & perversa firmiter persistat. Quos homines meritò vocamus *ἰσχυροὺς καὶ ἰδιογνώμονες*.

XVI.

Extrema affectionis siue dispositionis hujus sunt quoq; considerata. Quorum unum modum excedit in voluptatibus, & vocatur *ἀκρασία* Incontinentia: alterum peccat in defectu, & secundum Aristotelem est *ἀνάστυμον*.

XVII.

Verùm quoniam pauci vel nulli reperiantur, qui adeò distortæ sint naturæ, ut simpliciter & indifferenter omnes voluptates averterentur & contempnant, ita ait Aristoteles: Quemadmodum Temperantia Intemperantiæ tantùm videtur esse contraria: Sic & Continentia Incontinentiæ: ideoq; etiam extremum hoc,

A 3

quod



quod in defectu peccat, levi saltem brachio attingit, & Incontinentiam tantum pertractat: cujus ductum & nos merito sequimur.

XII X.

Ἀκροσία Incontinentia est vitiosa affectio, quâ homo contra rectæ rationis præscriptum, à pravis & importunis cupiditatibus & affectibus aliqua ex parte invitus & nolens ad peccandum abducitur.

XIX.

7. Eth. 4.

Dicitur incontinens aliquis duobus modis: vel *κυρίως καὶ ἀπλῶς*, propriè & simpliciter, quando aliquis cupiditates suas non potest continere circa voluptates corporis, necessarias, sed ultra modum eas expetit & persequitur: vel *κατὰ τι καὶ κατὰ μέρος*, secundum quid & aliqua ex parte: quando aliquis cupiditates suas non potest continere circa illas voluptates, quæ non omnino necessariae sunt ad vitæ sustentationem: ut cum dicimus, aliquem esse incontinentem vindictæ, honoris, pecuniæ, lucri & similium rerum. Et talis etiam à Philosopho dicitur *ἀκροτής κατὰ πρόθεσιν*, Incontinens per adjectionem: quia adicitur ea res, circa quam est Incontinens.

XX.

7. Eth. 7.

Alias incontinentiæ duæ quasi species constituuntur: quarum una dicitur *προπέτεια* sive præcipitantia: altera *ἀδύνη*, infirmitas,

XXI.

Προπέτεια præcipitantia est, quâ quis subito per Imprudentiam, & præter omnem cogitationem à vehementiore aliquo affectu, priusquam consultationem aliquam instituat, ad peccandum abripitur.

XXII.

Incontinentes, qui ad hanc referuntur speciem in duplici sunt differentia: vel enim sunt *οἰόξεις*, qui flavâ, vel *οἰμελαγχολικοί*, qui atra vexantur bile: Quorum illi propter bilis celeritatem, hi propter vehementiores imaginationes rectæ rationis iudicium minimè expectant.

XXIII.

Ἀδύνη infirmitas est, quâ quis pravis cupiditatibus & affectibus aliquandiu resistit, & à peccatis abstinere animum inducit:
Postea

Postea verò defatigatus ab illis superatur, & ad oblata turpia præ-
ter voluntatem impellitur.

XXIV.

Unde etiam ἀδελφείης graviolem reprehensionem incur-
re videtur, quam ἀρετῆς.

XXV.

Quemadmodum enim magis reprehenditur, qui spacium
adversus hostem, se præ nuntiendi habuit, & tamen id non fecit;
quàm ille, cui spacium nullum concessum, sed qui ab hoste impa-
ratus oppressus est: Sic etiam ἀδελφείης spacium deliberandi, & mo-
ram præparandi se adversus adventantes cupiditates habuit, neq;
tamen se præparavit: Ac proinde majore reprehensione dignus
est, quam ἀρετῆς, qui præter voluntatem & opinionem suam
à vehementia cupiditatum & affectuum subito fuit abreptus, &
spacio præ nuntiendi se & deliberandi, quomodo illis resistere ve-
lit, planè destitutus.

XXVI.

Cæterùm Incontinentiam cupiditatum pejorem & turpio-
rem esse, quam Incontinentiam iræ planè esse videtur.

XXVII.

Nam incontinens iræ quodammodo rationem audit, quæ 7. Eth. ca. 6.
jubet, illatam injuriam propulsare, & ejus mandatum exequi
nititur: in eo saltem peccat, quod præscriptione plenè ac planè
intellectà, repentino animi fervore ac motu sine ulla meditatione,
ad vindictam properat: more ministrorum, citò ad negotium
aliquid avolantium, priusquam omnia, quæ præscribuntur au-
dierint: vel canum more, qui pulsatis foribus, subito latentes
parùm attendunt, familiaris ne sit, a hospes, qui pulsavit: In-
contineas verò circa cupiditates voluptatum rectæ rationi aures
omnino non præbet; sed qualicumq; motu ad perfrueudas volu-
ptates, quæ sensibus gratæ & jucundæ videntur, rapitur.

XXVIII.

Insuper neminem inficiari putamus, quod ei potius sit igno-
scendum, qui appetitiones sequitur naturales. Jam verò iracun-
dia naturâ potius data est, quam cupiditas: quia illa profluit ma-
gis ex vicio naturæ: quemadmodum in bitosis videre est: Hæ
verò magis ab hominis voluntate pendent, 29. Quod

XXXIX.

Quod autem Ira sæpè sit vitium naturæ inde patet: quia eadem aliquibus familiaris, frequentior est & in iisdem successione quadam propagatur.

XXX.

Addo, quod idem testatum faciunt quàm plurima exempla eorum, qui interdum vel inviti cum maximo valetudinis incommodo flagranti irâ accenduntur, & levissimis de causis commoventur: quod plerumq; Cholericis seu hominibus biliosis usum venire solet.

XXXI.

Deniq; iræ Incontinentes candidiores sunt, quàm qui suis cupiditatibus indulgent. Irati namq; sunt *Φανεροί* aperti: quia non diu deliberant de insidijs alicui struendis; sed aperte eum, à quo læsi sunt, aggrediuntur: Incontinentes autem circa voluptates, ut possint voti sui compotes fieri; multas ac varias fraudes excogitant, quomodo possint cupiditatibus suis potiri: Unde fit, ut cupiditate æstuantes, majori odio prosequamur, quàm qui iram aliquando moderari nequeunt.

XXXII.

Oritur hîc quaestio, utrum incontinens sciens an ignorans peccet.

XXXIII.

Etenim si consultare & deliberare potest de rei, quam commissurus est, turpitudine, utiq; illam noverit & sciat, oportet. Jam verò si novit & verè scit, quomodo contra conscientiam suam, quæ habitus firmissimus est & validissimus, turpia perpetrare potest.

XXXIV.

Ad difficultatis hujus solutionem, duplicem adferimus distinctionem, unam τῆς ἴσως, alteram τῶν προτάσεων.

XXXV.

Scite primum idem est, quod habitu scientiæ præditum esse: cujusmodi scientia dicitur *ἴσως ἡ θεωρητικὴ*, quæ in sola mentis contemplatione acquiescit, & non producitur in actum. Deinde sumitur pro scientiæ actu & *ἐπιγνῶσις*, quando videlicet ea, quæ scimus, in agendo consideramus, & secundum eadem agimus: atq; hæc scientia vocatur *ἴσως ἡ πρακτικὴ*.

7. Eth.
2. 3.

36. Sic

XXXVI.

Sic Citharædus dicitur scire artem Citharizandi primo modo, etiam dormiens: secundo modo si operetur secundum habitum, quo præditus est, & arte suâ utatur.

XXXVII.

Eadem planè ratione Incontiens dicitur habere scientiam juxta primum sciendi modum. Scit enim, quæ sunt honesta & turpia: sed juxta secundum sciendi modum non habet scientiam: quia istâ non utitur in agendo, neq; eam considerat: sed propter ingentem animi perturbationem & vehementiam affectuum, scientiæ quodammodò obliviscitur, dum furenter ad scelus aliquod rapitur, & ita contra illam rapitur.

XXXIX.

Quocirca sciens actu non peccat, sciens autem habitu, dum eo non utitur, peccare potest. Quam in sententiam etiam Aristoteles alibi ait; Peccat iponte sciens, cum contra, quam debeat, utitur scientiâ suâ. 8. Phys. cont. 8.

XXXIX.

Deindè distinguimus inter propositionem universalem & particularem.

XL.

Jam fieri potest, ut incontiens, Venerem nocere noverit; & tamen perturbatione æstuans, hanc Laidem prosequatur. Item ut cognitam & exploratam habeat hanc propositionem universalem: Omnem ebrietatem esse fugiendam: Verùm particularem hanc: Hoc poculum inebriaturum, vel ignoret, vel in agendo non consideret; sed vehementer perturbatus, solum quàm suave sit hoc poculum, perpendat. Atq; ita impellitur ad delinquendum non omnino sciens, neq; etiam omnino ignorans: imò postea remota ebrietate, ad scientiam suam redit.

XLI.

At pulcra est dubitatio, quomodo fieri queat, ut incontiens Universalem propositionem sciat, & particularem ignoret: cum propositio universalis sub se complectatur particularem.

XLII.

Sed benè habet: Distinctione enim adhibita dubium hoc

B

facilè

facile tollitur. **U**niversale namq; dupliciter consideratur: vel ἐφ' ἑαυτῶν seorsim à rebus singularibus: vel ὅτι τὰ πρᾶγματα, in ipsis rebus singularibus. Illud incontinentem scire concedimus: hoc vero ipsum scire negamus: cum multa verè sciantur in genere, quæ tamen ignorantur in specie.

XLIII.

Quamquam autem Incontingens contra dictamen & præceptum suæ rationis & sciens ac spontè quodammodo agit; non tamen propterea πονηρὸς. malus & improbus est nominandus: sed potius ἡμιπληρὸς, semimalus, semimprobus. Quia in Incontingente ipsa προαίρεσις, electio, est adhuc bona: apud se enim proponit & eligit, quæ honesta sunt; sed tandem victus à cupiditatibus ea non agit.

XLIV.

Quæritur deniq; num idem sit incontinens & Intemperans? Item uter deterior, intemperans ne an Incontingens?

XLV.

Ad primum negativè respondemus. Quamvis enim Incontingens & Intemperans æquè ἐπι τὰς ἡδονὰς καὶ λύπας versentur: fit tamen illud non una eademq; ratione.

XLVI.

Incontingens iisdem quidem voluptatibus & affectibus agitur, quibus intemperans: sed habet adhuc rectam rationem, quæ suadet illis esse resistendum; ideoq; non persequitur voluptates turpes, plena voluntate & consentiente ratione: sed quia ratio non satis valida est, tandem etiam à cupiditatibus vincitur & repugnante ratione voluptates sequitur: Intemperans verò rectam rationem ita habet corruptam, ut existimet, se debere quibusvis etiam turpibus voluptatibus indulgere, id quod facit quoque plena voluntate & pleno animi proposito.

XLVII.

Ad alterum dicimus, Intemperantem Incontingente longè esse pejorem ac deteriorem.

XLVIII.

Intemperans enim peccat sciens & ἐκ προαίρεσεως, datâ operâ: Incontingens verò peccat παρὰ τὴν προαίρεσιν præter suum propositum.

49. Deinde:

XLIX.

Deinde Intemperantem facti non pœnitet, dum propter corruptum & depravatum iudicium peccatum suum non potest agnoscere: Incontinentem autem cum sanum adhuc habeat iudicium, recordatio sui sceleris commissi vulnerat.

L.

Quod ipsum in causa est, cur Aristoteles illum *ἀνίατον*, insanabilem; hunc verò *ἐνίατον*, sanabilem pronunciet.

LI.

Tandem Intemperans *ἀπλῶς καὶ κρείως* malus dici potest: Incontineus saltem *κατὰ τὴν καὶ μὴ κρείως*.

LII.

Ex his & illud colligimus, nullum incontinentem posse esse prudentem.

LIII.

Prudens enim ad res iudicandas & gerendas idoneus est: Incontineus autem propter pravas suas cupiditates in rebus iudicandis & gerendis non valet.

LIV.

Prudens etiam scit & agit bona: Incontineus scit quidem, sed non agit.

LV.

Prudens semper vir bonus est: Incontineus propter pravas suas cupiditates nunquam.

LVI.

Cum autem reperiantur nonnulli, qui licet incontinenter vivant, tamen valent etiam consiliis, & feliciter tam sua, quam publica negotia cum laude administrant, quod est opus prudentiæ: jure quispiam querere posset, num illi prudentes sint dicendi?

LVII.

Respondemus, tales non esse verè prudentes; sed esse potius naturâ quodammodo solertes & dexteros in rebus gerendis. Quæ naturalis dexteritas in eo etiam depræhenditur, in quo nec prudentia, nec reliquæ virtutes morales insunt, ideoq; propter eam nemo propriè dicitur vir bonus.

PRO-

Problemata.

I.

AN Incontinens solo appetitu peccet: Negatur.

II.

An illorum Incontinentia sanari possit facilius, qui consuetudine, an qui naturà eam contraxerunt. Distingua-
tur.

III.

An Stephanus Episcopus Parisiensis rectè anathematis sententiam, (ut refert Ricbardus 3 d. 33 art. 1. q. 1.) in eos tulit, qui docebant Continentiam non esse virtutem Per Con-
tinentiam intelligebat ipsam Temperantiam, vel Casti-
tatem. Atq, sic virtus dici potest: verùm
improprie vox usurpatur.

F I N I S.



Umg. VI 26


= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





ITATIO XIII.

ETHICA

De

INENTIA

INCONTI-

ENTIA.

Quam

UNO ANNUENTE

prima Academia VVittebergensi,

PRÆSIDE

Excellentissimo Philosopho

IOBO MARTINI,

Pract: Philosoph. Pro-
fessore publ.

Proponit

à Gröben / BORUSS.

Febr. Horis Locoq; consuetis

TEBERGÆ,

JOHAN. GORMANNI.

MDCCXIV.